



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Coleta V. 6. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

utique omni exceptione major. Nempe minimè placere Landulpho iudicio cum morte contendere; ultrò etiam suam portionem heredi Deo cedere, & assem jam promittere, qui semissem nuper negaverat. Quid ad ista vos, quibus hodie hereditate suâ cælum excludere familiare jam est imò vos, quid? qui donatam à Majoribus vestris creptum iterum itis. Ad illos, ad mortuos inquam provocant sacra & sacri homines. Non surgunt, dicis? at timete. Surgent. *Ex vitâ.*

Considera quàm multi nunc moriuntur, quibus si una hora ad pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per Altaria & quàm festinanter tamdiu suspirarent, donec peccatorum veniam à Deo consequi mererentur. S. Bern. l. de Int. Dom. c. 1.

S. COLETA V. 6. Martij.

COLETA in vivis jam ea spectacula meruit, quæ puris mentibus CHRISTVS olim promissit, ut quæ hunc & Cælites alios familiares quotidie in oculis habuit. Quare vaticiniis ac miraculis clara, & à D. Ioanne Apostolo, annulo CHRISTO desponsa, ab hoc ipso tandem in cælos deduci visa est. Epulum Eucharisticum ingenti fame appetiit; & hinc, favore in paucis memorando, eundem convivatorem & cibum quandoque nata, CHRISTVM è CHRISTI manu accepit. Aspera quæque ferre ejus amore ita aiebat, ut omnes Martyrum cruciatus lubens volens persenserit, toties prope Martyr dicenda, quot Martyres cælum numerat. Sed ad id impulit nimirum Servator, qui ei tormenta, quæ exantlasser, quibusque membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod

quod primò omnium loco erat ponendum. Precanti in conspectum MAGNA MATER se & FILIOLVM suum dederat; sed non eum, qui è sinu vel MATRI vel COLETA arrideret, sed qui unum jam toto vulnus corpusculo, lacrimis suis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie facinorosorum crudelitatem esse: utique pueritiæ cum primis, quæ vix natum CHRISTVM, vix ipsa nata, non jam uno concidit vulnere. Quin quod placet prævenire Iudæorum nianus: puerum CHRISTVM in crucem pueri agunt, nec semel agunt. Superi! quid gigantes facient, quando bellum cælo pumiliones inferunt? Ex Steph. Iul.

Vide & considera, quanta sit erga te dignatio Dei tui, & obliviscere populum tuum & domum patris tui: desere carnales affectus, seculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere. S. Bern. serm. de Mut. Aquæ in Vin.

S. THOMAS AQUINAS C. 7. Martij.

THOMAS Aquinatium Comitum sanguis, infans oblata fortè in schedâ verba, quibus MARIAM salutamus, illico devoravit, bellaria omni infantia danda. Puer in bullâ suâ mundum agnovit, eoque ad D. Dominici castra confugit; sed retractus à tam generosâ fugâ egregiam pugnam edidit, Veneremque ab inimicis domesticis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis, in fugam agens novo stratagemate ignes ignibus elusit. Ita ubi debellatum est, victoriam gratulari Angeli, balteo virginitatis victorè exornarunt. Ille postea doctrinam virtutis socians, ita

F de